



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Medardvs Ep. 8. Iunii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

Recipit ergo demonem hospicio, sed sub larvâ tam bellâ latentem, ut ille hominum osor hujus amore captus sit. Conflagrantem facibus foedæ cupiditatis personata lena deseruit, intellexitq; miserimus amator, qualis illecebra Deum sibi mentemque eripuisset. Ius deinde sibi met dixit, immissaque intra diffusâ arboris rimas manu, revulsis cuneis, arctè iterum coeunte trunco, inusitato cippo miserabilis se captivus induit; stetitque sic affixus triennium integrum, Dominicis duntaxat diebus panem & aquam è Severini manibus libare solitus; cum demum jabente Camerineni Episcopo, emortuam ab inaudito carcere manum, utique conciliato Numine, recepit. Audite peccatores. VICTORINVS momentû unum trienni supplicio vindicavit; nos ævo continuo peccamus, & vix momento resipiscimus. Ex Phil. Ferrar.

S. MEDARDVS EP. 8. Junii.

Nolit fortasse à Gildardo gemello suo sejungi MEDARDVS, cum quo ita communia habuit omnia, ut eodem die ambo nati, ambo denati, ambo sacris infulis induti sint: leges tamen hic seorsim de MEDARDI pueritiâ paucula, de Gildardo parva cogitabis. In splendidas opes natus unicum earum usum noverat, liberalitatem.

Præ-

Prætextam suam cæco largitus, ad matrem prope nudus recurrit, gessiens quod tantillâ veste Christum induisset. Equorum custodiam cum ultro sibi depoposcisset, unius abducendi copiam egeno viatori fecit; ejus jacturâ cum pater acerbe ferret, gregem recensentibus numerus nullo capite imminutus apparuit. Ipse nihilominus pietatis suæ fructum præsentem tulit, aquila alis à pluviarum injuriâ defensus. De agrorum limitibus exarserat inter vicinos certamen, spectabatque res ad arma, nisi puer litem finisset. Saxum enim medio repertum campo pede contingit, summe velut in molli cerâ vestigium impressit, eoque prodigio limitem, vel ostendit, vel fecit. Eleutherio contubernali suo de mitrâ olim indispicendâ oraculum dedit, cui postea vates ipse successit. Defuncto cælum faces funebres suppeditavit. Clotharius Rex Sandapila succollavit. Cum tumulo inferretur, cælum diduci pandique visum, nempe ut melior MEDARDI pars eo cum triumpho invehetur, geminæ columbæ itineris duces futuræ obviam profectæ sunt: quibus tertia, quæ de Sancti ore egressa est, sese junxit. Has alas animæ simplicitas & modestia affixerunt: nos in Pavonis superbumus. Ex Sario.

SS. PRI.